

A Tricesimus articulus probatur per testes proxime descriptos.

Item quod præfatus dominus Ioannes papa nonnulla diuersa bona mobilia & immobilia diuersarum ecclesiarum & monasteriorum, titulorumq; dominorum cardinalium, tam episcopatum q; aliarum presbyteralium & diaconatumq; collegiorum, prioratum, ecclesiarum parochialium, capellarum, cæterorumq; altarium, hospitalium & locorum ecclesiasticorum dictæ urbis Romanæ, & præsertim ecclesiarum principis apostolorum de urbe, sancti Ioannis Lateranen. ac alijs ad canonicos & personas ecclesiasticas dictæ urbis spectantibus. Necnon de bonis monasteriorum sancti Pauli, sancti Laurentij extra muros, sancti Alexij, sanctæ Sabinæ, & alijs monasterijs tam uirorum q; mulierum, sola auaritiæ cæcitate seductus, uendidit, alienauit, dilapidauit & dissipauit, & aliqua eorum ad nihilum redegit adeo, quod in plerisque cessat seruitium diuinum: & ubierat decem uel uiginti religiosi, hodie non sunt nisi duo tres quasi fame morientes. Et sic fuit & est uerum, publicum & notorium.

Tricesimus primus articulus probatur per unum cardinalem, per unum episcopum, per unum clericum cameræ, per unum magnum præpositum, per unum auditorem, per unum præceptorem decretorum doctorem, per unum procuratorem unius magni ordinis, & unum literarum apostolicarum scriptorem, & per plures alios de publica uoce & fama & communi reputatione.

B Item quod idem dominus Ioannes papa etiam iura mobilia & immobilia, ecclesiarum cathedralium & collegiatarum, monasteriorum, prioratum, studiorum, collegiorum, hospitalium, ecclesiarum parochialium, capellarum & cæterorum beneficiorum & officiorum ecclesiasticorum extra dictam urbem, tam in ciuitate & districtu Bononiens. quam in alijs ciuitatibus, uillis & locis dicti patrimonij Romanæ ecclesiæ, q; extra ubiq; consentientia, etiam uendidit, alienauit & dissipauit, & præsertim plura bona episcopatus Bononiensis & ecclesiæ sancti Petronij Bononiensis, & præsertim lapides, ligna & totam materiam, de quibus debebant compleri ædificia & fabricari dictæ ecclesiæ. Et pecunias annuas ad dictam fabricam ab antiquo ordinatas, recepit, & opus omnino cessare fecit. Similiter omnes possessiones, prædia ac bona mobilia & immobilia, ac dotationem totalem collegij Gregoriani in dicta ciuitate Bononiensi per felicis recordationis Gregorium papam undecimum fundati, pro sustentatione quinquaginta scholarium pauperum &c. etiam uendidit & alienauit, ita quod de mobilibus nihil ibi remansit, & de immobilibus uix possent sustentari cõgrue unus solus scholaris. Et demum saccardis habitandum radidit, qui totaliter eam destruxerunt: & eam uendidisset, si reperisset emptorem. Et sic fuit & est uerum, publicum & notorium.

C Tricesimus secundus articulus probatur per unum cardinalem, unum archiepiscopum, duos episcopos, unum auditorem, unum secretarium papæ, unum scriptorem papæ, & per multos alios de auditu, publica uoce & fama.

Item quod dictus dominus Ioannes papa præmissis non contentus, sed etiam literarum studia per salarij subtractionem subtiliter extinguere conatus est. Doctoribus studij Bononiensis per plures annos, & maxime à promotione sua ad papatum, stipendia eorum ab antiquo tempore dicti studij eis debita, & unde uiuere & perire de studere & legere debebat, funditus abstulit & remouit: & taliter fecit, quod tam nobile & solenne studium, quasi ad nihilum respectiue deuenit. Et sic fuit & est uerum, publicum & notorium.

Tricesimus tertius articulus probatur per duos cardinales, per duos episcopos, unum secretarium papæ, per duos auditores, per unum præceptorem decretorum doctorem, unum licentiatum in decretis, per unum procuratorem in curia Romana, & plures alios de auditu, publica uoce & fama &c.

Item quod non solum dilapidauit bona & iura prædicta mobilia & immobilia ecclesiarum, sed etiam super personas ecclesiasticas tam urbis Romanæ & ciuitatis Bononiensis